

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola VIII. Caelestini Papae III. Ad Omnes Angliae Episcopos. De  
reuerentia exhibenda Huberto Cantuariensi archiepiscopo, sedis  
apostolicae legato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

## 60 CÆLESTINI PAPÆ III.

apostolicæ sedis pro suis & regni profectibus obtineret; tum pro deuotione, quam ad Cantuariensem ecclesiam pro meritis illius glorioſi martyris habemus; tum pro tuæ probitatis & honestatis intuitu, eorum precibus affensum præstítimus & fauorem, maxime quia multum credimus ecclesiæ & regni vtilitatibus expedire, si talem in ministerio supradicto regio illa recipiat, qualem prædicti regis, & eorum instantia de conuersationis merito & fidei deuotione commendat: ideoque nos ad honorem Dei, & Cantuariensis ecclesiæ salutem, & pacem per totum regnum Angliæ (non obstante exceptione vel priuilegio venerabili fratri nostro Gaufrido Eboracensi archiepiscopo, aut ecclesiæ suæ vel alii facto) officium tibi legationis concedimus, per apostolica scripta mandantes, quatenus illam cum fraternæ obedientiæ humilitate suscipias, & secundum datam tibi cælitus facultatem ad emendandum ea quæ necesse est emendari, & ad statuenda quæ fuerint statuenda, debita diligentia manum auctoritate ipsius legationis apponas; ita nimirum in omnibus reuerentiam matris tuæ Romanæ ecclesiæ prompta detiotione custodiens, vt eam de profectu ministerii, quod tibi læta committit, tuis etiam facias operibus lætiorem. Datum Laterani xv. Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno iv.

## EPISTOLA VIII.

## CÆLESTINI PAPÆ III.

AD OMNES ANGLIÆ EPISCOPOS.

De reuerentia exhibenda Huberto Cantuariensi archiepiscopo, sedis apostolicæ legato.

*Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus in Christo Eboracensi archiepiscopo, & uniuersis episcopis, & dilectis filiis abbatibus & prioribus, & aliis ecclesiistarum prælatis per regnum Angliæ constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**D**IVINÆ sapientiæ inscrutabilis altitudo sacrosanctam ecclesiam in huius mundi latitudine stabiliuit, & ita regimen & gubernationem in ipsius inimitabili prouisione esse voluit, vt ad eam salubriter gubernandam plures assumerentur in partem solitudinis, quamvis pro vnitate

tis ecclesiasticæ firmamento Romana ecclesia acceperit plenitudinem potestatis: voluit enim, vt secundum quod ecclesiam alloquitur in Propheta, pro patribus eius filii nascerentur, qui super omnem terram principes constituti virtutum meritis, & verbo doctrinae rudes ad fidem prouectos ad iustitiam erudirent. Vnde sacrofæcta Romana ecclesia, cui Dominus super ceteras contulit ecclesiæ magistratum, pium ad alias materna prouisione respectum prouidit ab initio, & laudabili hactenus consuetudine custodiuuit, vt de diuersis mundi partibus ad earum ministerium implendum viros prudentes assumeret: quorum auctoritas & doctrina sub Romani pontificis moderamine constituta quod ipse non poterat procul distantibus ecclesiis ministraret. Vnde nos, qui licet insufficientibus meritis in sublimi sumus eiusdem specula constituti, patrum nostrorum vestigiis inharentes, ita intendimus cum Dei adiutorio iniunctum nobis ministerium circa proximas ecclesiæ gerere, vt his, a quibus etiam positione distamus, opportuna debeat prouidentia non deesse. Specialiter autem ad præsens Anglicanam ecclesiam paternæ considerationis acie intuentes, ad salutem ipsius, & speciales in Christo profectus, communi consilio fratribus nostrorum decernimus vt venerabilis frater noster Hubertus Cantuariensis archiepiscopus, de cuius meritis, & virtute, sapientia, pariter & doctrina ecclesia universalis congaudet, ministerio legationis accepto, vices nostras ad honorem ecclesiæ & totius regni salutem & pacem per totum regnum Angliæ (non obstante exceptione vel priuilegio tibi aut ecclesiæ tuae, frater archiepiscopi, vel alii facto) libere exequatur. Præsentium itaque auctoritate vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem tamquam apostolicæ sedis legato reuerentiam exhibatis debitam & honorem, atque eius salubria monita & mandata recipiatis humiliter & seruatis, quæ auctoritate legationis, qua fungitur secundum Dominum, duxerit statuenda firmiter obseruantes.

Datum Laterani decimoquinto Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno quarto.